

*barbaros obiit. (g) Veslingius, Mindâ Westphalus, Anatom. & Botan. Patavinus: qui Consilio Nic. Contareni, Nob. Ven. in Orientem profectus, ibiq; aliquot annos Plantas Ægypti præsertim diligenter scrutatus est. (h) Ac inter Hispanos, Garcias ab Horto, Lusitanus, Proregis in Indiâ Medicus: cujus Historiam Aromatum Clusius postea Latinè edidit. (i) Christophorus à Costa: qui pariter, ut quotidie aliquid novi disceret, in Historiâ præsertim Medicamentorum Simplicium, longa in Orientem itinera suscepit. (k) Franciscus Hernandez: qui sub auspiciis Philippi II. Hisp. Regis, profectus in Mexicum; ibiq; Medicus Ordinarius exstitit. (l) Inter Gallos, Piereskus, Aquis Sextis Senator Regius; cujus itinera planè curiosa, à Gassendo descripta sunt: (m) Renatus desCartes: qui primū rectè philosophandi, h. e. Præjudicia quævis abjiciendi, initium, antecedentibus Annis, in Expeditione Militari, & variis per Europam Itineribus fecit. (n) Et ante hos, Petrus Bellonius: quem Francisci I. Gall. R. munificentia dignissimum Veslingius (d. Opobals. pag. 3.) ait, cognoscendæ Metallorum, Plantarum, Animantiumq; Naturæ, veluti Oestro percitum, Græciam, Asiam minorem, Syriam, & Ægyptum perlustrasse. Ejusq; Observationes Clusius edidit. (o) Ex Belgis verò hic ipse Car. Clusius: qui in Pannoniâ, Austriâ, Hispaniâ, ac alibi, plantas plurimas, communiter minus notas, quàm sedulo observavit, ac dein descripsit. (p) Guil. Piso: qui sub regimine Mauriti, Principis Nassovie, in Brasiliâ Societatis Ind. Occidental. Medicus clarissimus exstitit. (q) Jacobus Bontius, in Javâ Majore, ac Indiis Archiater. (r) Ex Danis, Incomparabilis D. Th. Bartholinus, in ipso Sicilia Regno, in quod penetravit, cum applausu notus. Et quantum ad Nostros Germanos deniq; ex his nulla fere Orbis habitabilis Regio est, quam aliqui eorū non lustraverint aut colant. Quæ causa ex maximis una est, quod Scientiæ & Artes per totum Orbem, (etiam ad Barbaros) hodie sint longè lateq; disseminate. Ac sufficiebat, solum à Me nominari Bern. Varenium; qui postquam Orbem Terrarum bis circumnavigaverat, ignoratur, quorsum dein fuerit abreptus.*

*Atq; restant hic due Dotes Practicæ, in Experimentatore conspicuæ: (num 7.) Constantia Laboris, aut Patientia, quâ opus, in Experimenti successu (tardiore licet) expectando (confer Gebrum Procem. Cap. 7.) Experimento, si primam non succedat, iterando:*

*¶*